quo docet Aeschini contigisse eas partes quae soleant esse gratae auditorum auribus in aliorum s. convicia audiant id quod libenter facere solent omnes, sibi vero relictas eas quae sint molestae omnibus, laudum scilicet suarum praedicationem nam non sine molestia et fastidio auditur is qui suas praedicat laudes. Amplificat praeterea vim legum a legislatoris voluntate quo facilius illud obtineat ut sibi daretur quo voluisset ordine. Amplificat discrimen in quo versatur, cogi n. se dicit vitae totius suae tum publice tum privatim actae reddat rationem. Amplificat postremo crimina adversarii quae multa et gravissima esse dicit quo maiorem de se moveat misericordiam, et illi conflet invidiam praesertim cum doceat alios ab eo oppugnari alios rapi in iudicium, et crimina ipsa pervetusta esse itaque legitimum agendi tempus abiisse, sed melius singulos hos locos in verborum interpretatione ostendemus. Loca attentionis sunt hi. A magnitudine iudicii, a magnitudine criminis, pro eo quod vir optime meritus de rep. in periculo omnium fortunarum et existimationis vocatur pro eo quod ea lex ad remp. pertineat. Habetis